

spectandum iam non sit, ut probet, quoniam credi debeat  
rei p. conservatori.

Sed ego nondum utor ad hunc defendendum.

Moderate et consulte facit, quo magis mereatur ob-  
tinere testis auctoritatem, quam sibi ipse non vindicet.

Quae enim fuit Autronii causa, quae Syllae § 15.  
est?

... dissimilitudinem duorum, P. Syllae et Autronii,  
facta comparatione prosequitur, ne huius praedamnatio sit  
illa sententia, quae in Autronium dicta est. Necessario  
igitur ostendit numquam similes fuisse, ut per hoc facilius  
Syllam persuadeat innocentem.

Illum Allobroges, maximarum rerum verissimi § 17.  
indices.

Oratoria suptilitate adserit hic et confitetur Allobrogum  
fidem, quos 'verissimos indices' dicit; a quibus Syllam  
nominatum non esse constabat.

Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni  
Neapoli fuerit.

Quoniam videri poterat P. Sylla damnatus conscientia  
detecti criminis sui ab oculis omnium secessisse et  
urbem Romam reliquisse, trahit orator ad verecundiae  
argumentum dicens eapropter sub oculis esse civium  
noluisse, quod erubesceret in \*aliquo vitaे suaе honorem  
defloratum dignitatemque mutilatam. Nec moverit nos,  
quod ita loquatur de Sylla Cicero, quasi damnatus crimine  
ambitus habuerit Romae demorandi facultatem: habuit  
enim secundum legem Calpurniam. Nam superioribus  
<temporibus> damnati lege Cornelia hoc genus poenae  
ferebant, ut magistratum petitione per decem annos